

interventum monasterium nostrum praetextu paupertatis nunquam disgregetur. Congaudeamus ergo carissimi huius patroni nostri meritis, et quem olim in terris positum habuimus mediatorem, nunc ad caelos sublevatum apud Christum patrem et pastorem.

Cap. 20 [Ad preces beati Conradi multiplicantur panes]

Optatus votis nostris illuxit aliquando solemnitate nostrae ille sacratus dies, in quo largiente domino pontificali benedictione ecclesia nostra primitus consecrationis munus accepit. Ob cuius diei venerandam laetitiam nobiscum celebrandam Christi fidelium maxima multitudo ex diversis partibus confluit remissionem peccatorum pro mercede laborum suorum reportatura. Plurimi autem ex eis necessitate famis coacti pro refocillandis corporibus panes pro amore Christi postulantes de nostro pistrino acceperunt. Quibus omnibus manus dispensatoris nostri, prout eorum requirebat necessitas, liberaliter ministravit. Inde videns dispensator, panum superesse materiam paucissimam, sollicitudine motus recurrit ad amicum dei Conradum tunc temporis cellerarium et ait ad eum: „Quid faciemus? Ecce“, inquit, „venientium multitudo magis ac magis accessit et panis permodica superest facultas, unde tantae multitudini poterit provideri.“ Et felix Conradus habens plenam fiduciam in domino ita respondit: „Ego rogabo dominum et spero, quod de promptuario suo ipse nostrum supplebit defectum.“ Et sine mora se ipsum offerens deo in oratione hoc verbum accepit a domino: „Conrade, dic fratribus tuis, ut hodie in servitio meo ferventes et devoti existant et praesentis solemnitatis officium in iubilo cordis perficiatur, et ego pluem eis de caelo omnium necessariorum abundantiam.“ Et post paululum larga benedictio domini parvam materiam adeo mirifice multiplicavit, ut servitorium ita esset panibus plenum, ut omnibus petentibus sufficeret ad nutum. Postea ingressus dispensator videns tam munificum augmentum ob magnitudinem miraculi trahitur in stuporem. Igitur sicut dictum, ita et factum est et de promptuario divitiarum dei omnium necessariorum copia largissima descendit. Perpende igitur, quantus fuerit iste apud deum, qui in fideli mediatione similis factus est Moysi et in augmentatione panis miraculum renovat Helisaei<sup>11</sup>.

Cap. 21 [De nuntiis revocatis per visionem dei]

Simplicitas veritatis amica nonnunquam turbatur, cum in petendis elemosynis ipsa fecte simulatur. Et iuxta verbum vulgare simulata bonitas

---

11) Vgl. 4. Reg. 4, 42-44.